



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. IV. De Prima Probatione.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

CAPUT IV.

De Prima Probatione.

SECTIO I.

*De Domibus Probationis fundandis,
& primo ad illas Ingressu.*

1.  E fundacione & reliquis rebus temporalibus Domuum Probationis, cum hæ sint velut membra Collegiorum, redivitibus æque ac illa dotata, non est hic instituenda peculiaris tractatio: sed idem omnino servandum est in hisce Domibus circa earum Fundationem, & Administrationem reddituum, quod pro Collegiis fusè infra explicabitur Par. 2. Unum tamen omitti non debet, quod peculiari sancitum Decreto est, post repetitam duarum Congregationum discussionem, ut in singulis Provinciis Domus Probationis instituerentur, vel conjunctæ Collegio, sed ab eo distinctæ, vel etiam separatæ: in quibus Novitii non literarum, sed profectus spiritualis studio vacando probarentur. *b* Pariter declaratum est, adeò nullum subesse scrupulum in admittendo Domos tertix Probationis, de quibus infra Part,

Domus Probationis quomodo fundanda.

a Ex. c. 1. §. 4.
& B. & Greg.
XIII. p. 2 30. &
P. 6. c. 2. A.

b C. 1. D. 127.
& C. 2. D. 14.

c C. 7. D. 31.

Locus, ac tem-
pus prima Pro-
bationis.

d P. 1. c. 4. §. 1.

2. & A. & Ex.

c. 1. §. 13. F. &

H. & Reg. M.

Nov. 9.

Segregatio pro-
bandorum.

e P. 1. cap. 41.

§. 4. & Reg.

M. Nov. 10. &

Reg. Com. 27.

Part. 2. c. 7. dotatas redivibus; ut etiam id fit magis conforme Constitutionibus. c

2. Postquam in Domino statuetur, quod ad Probationem aliquem admitti conveniat: solitis vestimentis indutus, aut pro cuiusque devotione, nisi aliud Superiori videbitur, ingredi poterit Domum, aut habitationem separatam, ubi ut hospes 12. dies, vel usque ad 20 & amplius, prout Superiori videbitur, diversabitur. Expedit enim, ut qui ad Societatem admittuntur, non solum diu probentur, antequam in ejus corpus cooptentur: verum etiam ut valde noti sint, antequam ad eam Probationem admittantur; quæ fit in communi convictu. d

3. Postridie, quomodo eo in loco se gerere debeat, ei declarabitur; ac nominatim ne verbo, aut scripto (nisi Superiori aliqua de causa non levis momenti aliud videretur) cum Externis vel Domesticis agat, præterquam cum iis, qui ad id designati à Superiore fuerint: quò nempe liberius secum, & cum Deo perpendat vocationem suam. Quare nemo præter eos, qui à Superiore deputati sunt, loqui potest cum illis, qui in prima Probatione versantur; exceptis tamen usitatis salutationibus, quas inter obvios caritas religiosa exigit. e

SEC

S E C T I O I I.

De Examine & Institutione eorum in genere qui primò probantur.

1. **E** Lapsis duobus, aut tribus diebus examinari accuratiùs incipiant: & relinquatur eis scriptum Examen Generale, absque Declarationibus, vel aliud Examen brevius, si in aliquo particulari ita expedire Superior judicaverit. Postea ostendantur, & relinquuntur Litteræ Apostolicæ Julii III. datæ anno 1550. & Summarium Constitutionum ac Regulæ Communes; quæ omnia oportebit habere in promptu vernaculo sermone scripta pro iis, qui non callent linguam Latinam. Igitur per quinque, vel sex dies accuratè informantur prædicto modo de iis, quæ ad Institutum, & ad ipsos pertinent; & lectione alicujus pii libelli, qualis est de Imitatione CHRISTI, subinde recreentur. *

Quo ordinè examinandi.

* Con. 4. D. 67. & R. M. Nov. 20.

2. Præcipuè proponatur illis, ex mente illorum, qui primi in hanc Societatem convenerunt, admittendos in eam esse, qui omnino sæculo renuntiarint; & quidem juxta consilium CHRISTI. *Si vis perfectus*

Et præcipuè de abdicatione veterum.

C

fectus

y Ex. c. 4. §.
1.

fectus esse, vade & vende omnia, quæ habes; & da pauperibus. y Quod si quis non statim, propter honestas causas bona relinquat; promittat se, saltem post annum ab ingressu, quodcumque, Superior injunxerit, re ipsa relicturum omnia sua bona pauperibus, juxta consilium Evangelicum, à se omnem fiduciam submovendo eadem ullo tempore recuperandi. Et si dubitaretur; an majoris foret perfectionis renuntiare consanguineis hujusmodi bona; nihilominus ad declinandum errandi periculum, contentum se futurum eo, quod super hoc negotio statuerint esse ad majorem Dei gloriam viri doctrina & pietate insignes, cum approbatione Superioris ad id electi. g Promissio autem prædictæ abdicationis neque votum est, neque solum propositum; sed simplex promissio, ea conditione affecta, si ille perseveraverit, & Superior illi injunxerit. h Admoneatur itidem, si quæ habeat Beneficia Ecclesiastica, relinquenda esse eodem modo, quo dictum est de aliis bonis. i Immo ut gravissimis incommodis occurratur, hujusmodi Beneficia, antequam quis emittat Vota Simplicia Scholasticorum, omninò resignentur. l Prælegatur etiam iis Novitiis, quorum intererit, sub

g Ex. c. 4. §.
1. 2. 3. & P.
3. c. 1. §. 7.
G. & §. 25.
& P. 6. c. 2.
H. & C. 2. D.
76.

h C. 3. D. 19.

i Ex. c. 4. §.
5.

l C. 1. D. 140.
& C. 5. D. 19.

eorum in Societatem ingressum, Decretum 17. Con. 7. circa administrationem, & abdicationem bonorum, ne quis potestea ignorantiam prætexere possit. *m*

m Con 7. D. 17.

3. Interrogetur præterea, an in opinionibus non communibus toti Ecclesiæ, & in scrupulis paratus sit se submittere iudicio Superiorum, aliorumve, quorum consulendorum illi potestatem fecerint; noveritque si postmodum contigerit huiusmodi consiliis nolle se accommodare, oportere eum domo egredi, nisi aliud Superiori videretur. *o*

De Opinionibus & scrupulis.

n Ex. c. 3. §. 11. 12. & D. & P. 3. c. 1. O. & C. 5. D. 50. §. 2. *o* Con. 1. D. 22.

4. Interrogetur etiam, an obedientem se exhibere in omnibus, quæ nostræ vocationis sunt, velit, subeundo qualvis poenitentias, quæ à Superiore fuerint injunctæ. *p* An contentus sit futurus, ut omnes errores & defectus ipsius Superioribus per quemcumque, qui extra confessionem eos acceperit, manifestentur; neque exceptionem juris famæ opponere; cui hac in parte renunciat; paratusque sit ad aliorum correctionem vicissim juvare, debito cum amore, & caritate aliorum defectus Superiori; etiamsi is non interrogaverit, manifestando. *q*

Et de Obedientia.

p Ex. c. 4. §. 33.

5. Demum ea omnibus proponentur, quæ postea aliquam difficultatem afferre possunt:

q Ex. c. 4. §. 8. C. 6. D. 32. & 34. C. 7. D. 80. §. 16. & Reg. M. Nov. 15.

De reliquis difficilioribus.

possunt : ut de animi promptitudine ad
serviendum Deo ubique , & in re quavis ,
de manifestatione conscientiae futuris
temporibus , de indifferentia ad Gradum
Societatis , ad quam indifferentiam omnes
omnino obligari se intelligant quarto
quodam voto in formula Votorum com-
muni per illa verba *promitto eandem Socie-
tatem me ingressurum* , ut scilicet Gradum
Coadjutoris Formati , vel Professi reci-
pian , prout Generalis Præpositus judi-
caverit. r

r C. 5. D. 5.
& 7. & 50. §.
1. & C. 7. D.
32. 39. & In.
ad Sup. c. 6.

S E C T I O I I I.

De examine particulari diversarum Classium.

*Examen Scho-
lasticorum.*

I. **Q**ui verò ad studia literarum aptus
creditur , interrogetur præterea ,
an velit se duci sinere circa eorum mate-
riam , modum , & tempus ; an , si habue-
rit opiniones discrepantes à communi Ec-
clesiæ sensu , eas dimittere , & sentire
cum Societate paratus sit ; an , si minimè
idoneus censeatur ut proficiat in literis ,
eo quod ingenio , vel sanitate corporis
destituatur , vel aliis defectibus laboret ,
laturus sit , se à Societate dimitti , solum
sci

scilicet omni voto ac promissione. s Non propterea tamen dimittendi passim sunt, qui post Biennii vota utcumque inepti deprehenduntur, sed quatenus explicabitur infra Part. 4. c. 7. Sect. 2. §. 6. Deinde qui literis operam dederunt, specimen earum in singulis facultatibus, quas didicerunt, præbeant coram designatis à Superiore, & postea Exhortationem unam quisque faciet. r

2. Si quis verò examinatus fuerit, ut sit Coadjutor Spiritualis, intelligat sic vacare se debere rebus Spiritualibus sui Status, ut in posterum nullo pacto alium Gradum procurare possit. u At à Coadjutore Temporalis petatur, an contentus sit futurus in officiis, ac ministeriis abjectis, cujuscumque rationis illa sint, paratus ad vitam omnem in eis exigendam; sibi persuadendo quod ea in re obsequium, & laudem præstat suo Creatori & Domino. Et hi quidem, quamvis pro ipsorum captu, in propria vocatione plenè instituendi sunt: poterunt tamen tempore aliquo exercitio corporali, aut labore manuum occupari, sejuncti tamen ab aliis. x

3. Si qui admissi sunt in Indifferentium classem, hi potissimum admonendi, quod nullo

s Ex. c. 7. §. 3. & P. 4. c. 6. §. 15. N. & C. 4. D. 67. & C. 5. D. 50.

r Ex. c. 5. §. 6. & P. 5. c. 4. §. 5. & C. 4. D. 67. & R. M. Nov. 22.

Examen Coadjutorum.

u Ex. c. 6. §. 5

x Ex. c. 6. §. 3. 4. & 6. 7. & R. M. N. 21. & Instr. 6. §. 4.

Examen Indifferentium.

nullo tempore, neque ulla ratione debent tentare ullo pacto potius hunc, quam illum Gradum in Societate, sed omnem sui ipsius curam Societati, vel Superiori ejus relinquere, ut dictum est supra.

7 Ex.c. 5. §. 8.
& c. 8.

SECTIO IV.

De aliis post Examen prestandis.

*Exercitia Spiritu-
alia & mani-
festatio conscien-
tia.*

I. **I**N his autem omnibus proponendis & declarandis paulatim procedatur; ut qui examinatur, res omnes nostri Instituti, juxta suum Gradum, bene percipiat, ad suam majorem satisfactionem & stabilitatem. Tum si antequam admitteretur in Societatem spiritualia exercitia non fecit, hoc primum Experimentum aggrediatur; & juxta Exercitia suo tempore generaliter confiteatur; nisi ante ingressum fuerit alicui de Societate generaliter confessus: tunc enim satis erit si ab eo tempore generalem confessionem incipiat; & eodem tempore conscientiam suam Superiori aperiat, aut intra aliquot menses, (si Superiori differendum videtur) eidem, aut alii per eum delegato, totius vitæ rationem integram, vel certè rerum majoris momenti reddendo: & si ab aliqua censura, virtute nostrorum privilegiorum, abso-

absolutus fuerit, admoneatur, quod si non perseveraverit, in eandem reincident. Declaretur etiam illi, si quæ Vota, cum adhuc esset in seculo, emisit (præterquam Religionis determinatæ) in nostra Societate tandiù suspensa esse, dum ipse in Societate manserit; quod si recesserit, eadem obligatione teneri, qua ante ingressum tenebatur. *z*

2. Postremò in libro ad id designato, quem penes se Procurator habere debet, scribatur quidquid unusquisque domum attulerit, cum subscriptione ejus, qui examinatus est; Allata verò alicubi separata conserventur, quousque biennio expleto consueta Vota emisit. *a* Neque toto hoc tempore quidquam exigatur in usum Collegii vel Domus Societatis ab ejus tutoribus, aut parentibus, quamdiu non est Scholasticus approbatus; ut cum majori libertate in Domino possint juvari, & corrigi, cum oportuerit; *b* multòque minus hoc tempore ulla Legitima exigatur, aut applicetur, vel ea de re agatur. Quod si quis maturior erit ætate, cujus bona vel à nullo dependeant, vel exigi, ac recuperari sine offensione, ac difficultate possint, referet ad Præpositum Generalem Provincialis, an permittenda illi sit dispositio ante biennium. *c*

z Paul. III. p. 40. & Ex. c. 4. §. 10. & 36. & P. I. c. 4. §. 6. & C. I. D. 132. & C. 4. D. 67. & Reg. M. N. 15. & 23.

Admissorum bonorum absumenda.

a Ex. c. 4. §. 4. & P. I. c. 4. §. 6. & R. M. N. 25. & R. Proc. 7. & In. 6. §. 6.

b In 6. §. 6.

c Or. c. §. 10.

*Consignanda
scripto Ingressus
& Examen.*

*d P. r. c. 4. §.
6. & R. M. N.
26.*

*Quatenus cum
aliquibus dis-
pensandum.*

*e P. r. c. 4. §.
6. & C. 4. D.
67. & R. M.
N. 23. 24.*

f In 6. p. 3.

3. In alio verò libro, quem Magister Novitiorum apud se habebit, notabitur dies & annus ingressus uniuscujusque in primam Probationem, & quod contentus sit observare omnia ei proposita, cui pariter Novitius subscribet. Et cum aliqui in Coadjutores temporales, aut indifferentes admittuntur, speciatim id scripto declaretur, quod examinatus manu sua subscribat, vel alius pro ipso, si scribere nescit.

4. Quod de primò experimento spiritualium Exercitiorum dictum est, ita intelligendum; ut si cujusquam valetudo, vel aliqua temporis aut personæ ratio persuaserit, non esse longiùs prædicta mentalia Exercitia continuanda, antequam Exercitia aggrediatur, per quatuor, vel vel quinque dies vacare, & separatim recreari poterit: vel si Magistro Novitiorum videretur, facta Confessione generali, & peractis Exercitiis primæ hebdomadæ, etiam ad convictum admitti. Sed quando hæc relaxatio longiùs ob valetudinem, aut aliam rationem protrahenda Magistro Novitiorum visa fuerit: poterit sumpta Eucharistia etiam ad communem convictum admitti, & ubi firmiter fuerit, sua Exercitia peraget. Dispensatio verò prædicta in Exercitiis spiritualibus non crebrò usurpanda, cum ea sint præcipuum Experimentum f